



124

habitatione castelli, quasi compassum et juxta illam semper noctibus ardet lucerna, et in navigatione nunquam avertunt oculum ab ea, sed semper unus stellam inspicit, et cantat quadam dulci melodia, intimans prosperitatem viae, et eodem cantu pronunciat illi, qui gubernaculi clavum regit, ad quam partem ipsum gubernaculum sit trahendum: nec ille gubernator audet quovis modo movere temonem nisi jussu inspectoris maris stellae, in qua cernit, si directe, si curve, si lateraliter navis progrediatur: de his vide fol. 62. Habent et alia instrumenta, quibus de cursu siderum et de flatibus ventorum et de maritimis semitis judicant. Chartam enim habent, quae habet ulnae latitudinem et longitudinem, in qua maris latitudo mille mille lineis est depicta, et regiones punctis designantur et miliaria cifris. In illa charta perpendunt, et vident ubi sunt, etiam dum nullum terram conspiciere possunt, et dum nec sidera apparent propter nebulas. Hoc autem inveniunt in charta ducendo circulum de linea ad lineam de punctis ad punctum mirabili industria; multa alia instrumenta habent, in quibus maris itinera considerant, et cottidie simul sedent de his conferentes. Post hos supremus in regimine navis, qui manum apponit, et praecepta speculantium primo suscipit, dicitur cometa, et idem est quod comes galæae, et habet locum suum infra castellum in medio transtrorum in sublimi. Huic patronus intensionem suam insinuat, et ipse consequenter totam coordinationem movet. Habet enim pendere in collo argenteam fistulam, cum qua dat signum, ad quos labores navales currendum sit; et quacumque hora diei aut noctis fistula illa auditur, repente omnes accurrunt cum clamore fistulanti respondententes. Hic jubet a portibus recedere et accedere; anchoras ejicere et retrahere; vela erigere et remittere; remis trahere et quiescere; bolidem immergere; tonsillas figere et dimittere. Huic omnes inferiores timent sicut diabolum; quia ipse percutit baculis, castigat pugnis et funibus quos vult, nec est qui murmurare audeat, quia contra murmurantem omnes insurgunt dato ad hoc signo. Vidi de istis cometis inhumanas crudelitates, quibus affligebant pauperes galeotas. Sub illo est alius, qui dicitur baronus, id est baro galæae, qui ad jussum cometæ movetur et movet, et semper habitat in

139

137

143

133

148

128

188

088

238

038

Ende

Anfang